

consideranda est cuiusq; personæ proprie-  
tas, & quo ordine personæ agant.

40. Observentur etiam hæ regulæ. 1. Ope-  
ra trinitatis ad extra sunt indivisa. 2. Opera  
trinitatis ad intra sunt divisa. 3. In operibus  
ad extra nominata una persona, tota trinitas  
intelligitur. 4. Eadem operatio tribuitur  
nunc patri, nunc filio, nunc Sp. sancto: pro-  
pter essentiæ unitatem. 5. Quando divinitas  
opponitur idolis vel creaturis, tum una per-  
sona nominata non excludit reliquas ab  
*ὁμοδοσία* deitatis.

41. Damnantur blasphemi Judæi, Praxe-  
ni, Samosatreniani, Noetiani, Patripassiani,  
Photiniani, Mahometistæ, Stancarus, Ser-  
vetus, Antitrinitarii, &c.

---

DISPUTATIO III.

DE DEO PATRE, ET FILIO,

& Spiritu Sancto.

THESIS I.

**I**N descriptione personarum trinitatis ob-  
servanda sunt quatuor. 1. Ordo persona-  
rum. 2. Proprietas characteristicæ, sive ad  
intra. 3. Proprietas in Opere ad extra in ge-  
nere. 4. Proprietas in opere ad extra relati-  
vè ad Ecclesiam.

1. *Pater* est 1. prima persona divinitatis 2.  
quæ ab æterno genuit filium imaginem sui  
3. creans, conservans, & gubernans omnia;

una